

COMMENTARIOLUS

LUDOVICI CERVARII TUBERONIS

(*) De origine & incremento Urbis Rhacusanæ.

Memory proditum est, Saracenos Aspicans gentem quoniam ex Sicilia, quam magna ex parte jave occupavant, ingenti classe ad litora Dalmatiae prædandi studio delatos urbem Epidaurum Slovinorum armis jam fractam vi cepisse, ferreque atque igni funditus evertisse, civibus subito atque improviso malo percussis, dum Slovinum terra oppugnantem vix sustinentes, novi insuper hostis insperate adventu terrentur; nec Slovinis eodem tempore terra, Saracenis mari urbem aggredientibus, resistere queunt. Post Epidauri excidium Saraceno, multis cladiis reliqua quoque Dalmatiae illatis, Adriaticum relinquente finum, Epidaurii cives, qui forte aut mercaturis, ut sit, rem querendo a domo tunc abfuerant, aut fuga inter tumultum elapsi hostiles vitaverant manus, ad instaurandam patriam sese convertunt. Verum a Slovinis regionum accolis, transfrana gente, non solum id facere prohibiti sunt, sed etiam in servitutem pene redacti, duus barbari & per se Epidauriis infesti, tantæ cladi reliquias veluti naufragia quendam a fortuna objecta sibi vindicare nituntur, ad avaritiam odium adjungentes, quo non modo in Romanum nomen, sed etiam in Latinas colonias graffabantur, viribus Romani Imperii, ut sunt omnia orta occasui obnoxia, exhaustis. Tandem precibus cuiusdam sacerdotis Epidaurii, cuius nomen non traditur, qui & ipse patrio forte superfluerat excidio (cooperant enim jam Slovini quoque, licet nondum sacris nostris iniciati, Christianam admirari religionem ob illius seculi sanctitatem: nempe illis temporibus Christiani sacerdotes cultui diuino summopere dediti erant, vitaque & mores eorum incorrupti

repti omnes gentes ad ipsam religionem alliçebant) tum per pactionem pendendi anni tributi a servitute liberati , Burnum oppidum Epidaurii agri a Slovinis aliquot ante annis deletum ipsorum Slovinorum permisum incolere cœperunt , dumque consuetus libertatis amore tenebantur , quoad per accolas barbaros licebat , reficiendas Urbi dant operam , formamque ac speciem recipublicæ Epidauria pro præsenti restituunt fortuna , haud sane oblii afflictis in rebus Romani ingenii , cujus proprium fuit adversis obvictari , & clades acceptas industria sublevare . Proximo Epidaurus teste Plinio , atque eo auctore , qui libros aliquot C. Jul. Cæsar's commentariis contexuit , Romana fuit collegia , Aliquot dænde post apnjs Polimirus cognomento Belus materno genere Romanus , paterne Rhatslavii Bossinatum quondam regis pronepos , qui a filio Gothislavo regno pulsus Romanam sese exulatum contulerat , in Illyricum studio aviti regni recuperandi est profectus ; jam enim Gothislavi stirpe merito ob ejus in parentes impietatem extincta , duces singulis præpositi provinciis Illyricum regio ferme obtinebant imperio : nec tamen his imperandi cupido , quæ humanas mentes plerumque in omne scelus præcipites agit , obstat , quia literis ac legationibus Polimirum hortarentur , uti regnum ad se jure gentium spectans reciperet , rati nec a republica esse , regnum a pluribus administrari , nec fas esse , quemquam in regem assimi , nisi regio sanguine ortum . Igitur (4) Polimirus posteaquam in Dalmatiam navibus appulit , in portu qui xiii circiter stadiis ab urbe Rhacusa abest (incolæ Gravosium a regionis quæ portu adjacet asperitate lingua Epidauria nupcypant) se suosque exponit , quos inter Romanici quidam , seu Romæ natæ , ex Illyrico tamen oriundi fuere , apud suos satis honesti , quorum quidem majores una cum Rhatslavo patria extores Romanam sese receperant , atque studio antiquæ patriæ repetendæ una cum liberis , ac conjugibus Belum in Illyricum proficisciensem supra fecuti . Eo loci a Joanne Tribulienium pontifices , regniisque principibus , qui officii gratia obviam novo regi fre-

quentes progressi erant, latis animis, summoque honore est exceptis, atqne in oppidum Tribulium, quod sane ea tempestate pro captu Illyrico satis erat opulentum, nunc deleti vix extant vestigia, deductus, ut ibi insignibus imperii de more acceptis regnum iniret, hinc enim Boſinatum reges, qui eam Dalmatiae partem obtinebant, imperium auspicabantur, & fortunæ suæ insignia tunc accipiebant. Porro Boſinates Thracum Bessorum soboles olim Thracia a Bulgaris pulsi eas regiones Illyrici insederunt, quæ Savo, Valdano, Drino amnibus, & mari Adriatico, qua Dalmatiae prætenditur, continentur. Slovini enim Bulgaris Thraciam ac Macedoniam invadentibus, ultra Savum sese receperant. Nam Dalmatae Bulgarorum viribus ac nomine adjuti Slovinorum jugum excusserant, libertate armis repetita. Quamquam sunt qui credant, Boſinates, & Slovinos eandem esse gentem. In quam sane opinionem vix adducor; quandoquidem lingua inter se haud parum differunt. Adeptus avitum regnum Polimirus convocat ad se, quos secum Roma in Dalmatiam venisse demonstravimus, sciscitatur, in mediterraneis ne locis, an maritimis malint sedes habere: ubi intellexit, eos maxime, qui tenuiores genere, ac fortunis erant, præoptare maritima loca, ut pote emporio magis idonea, seque malle mercatura ac navigatione, quam cultura sterilis atque asperi circa soli vicum querere, illis eo libentius est assensus, quia ingens ejus animum cupidio incesserat novæ Urbis in eo loco condendæ, quo primum Dalmatiam petens navibus erat delatus. Verum natura munitor locus visus, licet urbi amplificandæ haud satis esset commodus, ubi nunc Rhacus sita est. Quoniam præterquamquod editus esset, atque magna ex parte præruptus, a circumfuso insuper mari penne undique ea tempestate in peninsulæ modum alluebatur; campum enim illum, qui nunc publicis frequens tabernis rerum venalium forum est, post conditam urbem, deducto inde humore constratum esse constat. Rex igitur priusquam urbis jaceret fundamenta arcem in præaltis rupibus mari subiecto imminea-

minentibus, ubi nunc Divæ Virginis ædes est, ac Monasterium, quod sacræ Virgines incolunt, exædificavit: munimentum adversus hostes futurum, & urbanis facilius in officio continendis. Locum Rhacusani Divam Mariam Castellanam vocant, quamquam sunt qui existiment, hanc arcem non a Belo a fundamentis inchoatam, sed potius ab illo, addita etiam Michaelis Constantinopolitani Imperatoris ope, ad cuius imperium id temporis Dalmatia spectabat, instauratam, afferentes una cum Epidauro ab iisdem hostibus dirutam fuisse. Addunt etiam, arcem ipsam lingua Epidauria Lavusam, eo quod in præruptis saxis posita esset, vocitatum, in quod quidem nomen totam mox Urbem abiisse tradunt, Lavusa in Rhacusam mutata. Ductis deinde duobus muri utriusque brachiis regionem, Posternam nunc appellatam, & quidquid inde recta ad Occidentem Solem editioris loci erat, protensis munitionibus ad rupes Zephyro objectas, mænibus circumdant, planicie omni extra munitiones relicta, quam partim sylva, partim palustre solum id temporis obtinebat. Nam quicquid Urbi inde adjecsum est, id totum postea cives aucti fortuna extruxere. In medio fere oppido Polimirus D. Stephani Protomart. erigit Templum, reliquiasque Nerei, Achillei, & Pancratii martyrum, Petronillæque, & Domitillæ Virginum argento inclusas, secumque Roma asportatas ibi condit, attributa templi cura quibusdam clientibus suis e familia a Cruce denominata, quæ jam majorum ignavia pene extincta est. Nomen urbis quidam a Rhacusa Siciliæ oppido, putantes ejus insulæ coloniam, deducunt: nonnulli a Rhadagaso Slovorum, seu Gothorum rege, a quo Polimirus ipse Urbis conditor vetustam ducebatur originem, nuncupatam credunt: alii, ut paulo ante dictum est, ab Epidauriis iudicatum arbitrantur, qui quidem eam a rupibus, in quibus oppidum constructum est, eorum lingua Lavusam appellarunt, paulatimque vulgo, per linguæ corruptelam, literam immutante, nomenque depravante, pro Lavusa Rhacusam esse nominatam. Satis enim constat, Epidaurios qui

qui tunc patriæ superstites erant suafu maxime Pontificis eorum, quem Docleatis auctoris annales Joannem nominant, & Burno quod quidem oppidum, ut demonstravimus, instaurare cœperant, in novam urbem commigrasse, in civitatemque receptos, atque quosdam ex iis in patritios adscitos, quorum quidem sobolis plerosque hac quoque ætate Rhacusæ superesse certum est. Nam Polimirus constituto in urbe ab se condita senatu, quem ipse partim e suis comitibus crearat, partim ex Epidauriis civibus legerat, eundem ibi honorem obtinere permisit, quem olim in antiqua gesserat patria, senatui duxat Urbis administratione concessa. Et ne quid novæ civitati decesset, Pontificem Epidaurium, quem quidam Joannem nominant, amissa priore sede Burni agentem præsulem Rhacusanum Romano Pontifice annuente designat, atque a ditione Salonitani Antifitis, sub cuius jure omnes fere Dalmatiaz præsules id temporis erant, eximi curat, licet eo fere tempore Salonæ quoque ab Veris, glacialis Oceani accolis eversæ sint.

Jam nova urbs opibus, ac civium multitudine, soli inopia industriam acuente, aliquantis per coaluerat, quum iterum Rhacusanorum animis Epidaurii excidii metus obverfari cœpit. Nam Saraceni Calabris, ac Apulis superatis Garganum montem nullo obſidente occuparant. Distat autem ea regio Italiaz ab Illyrico litore e regione posito duorum ferme dierum navigatione, mediogri vento navim impellente. Itaque Rhacusanzi communicato cum Jadertinis consilio, quorum civitas sicut regionis, & agri felicitate reliquas Dalmatiaz Urbes longe superat, ita id temporis opibus, & magni spiritus civibus eminebat, ceterisque maritimæ Dalmatiaz civitatibus in societatem deductis, ad accolias Slovinos mittunt oratores, qui & docerent imminens Dalmatiaz periculum propter brevem e Gargano in Illyricum trajectum, & hortarentur eos ad bellum hostibus Christiani nominis inferendum. Slovini enim Adriani III. Romanii Pontificis tempore, Sveropylo Dalmatiaz regnum permisso Constantinopolitani Imperatoris administrante, Christia-

nam fuisse perant religionem. Gens Slovinorum simul religionis amore, simul Dalmatiae periculo mota, vi magna navium coacta, atque imposito in naves exercitu, in Apuliam trajicit, pulsisque e monte Gargano Saracenis, Rhacusanos non solum ab hoste tutos reddidit, verum etiam his quasdam Insulas, quae nunc quoque in eorum ditione sunt, partim pretio partim dono dedit, qua ex re Rhacusanorum fortunae haud parum adjectum. Ceterum Civitas Rhacusana veluti humanum corpus quem solito speciosius, coloratusque factum est, in gravorem plerumque incidit morbum, intestina tyrannide civium fortunis aucta premi capit, mortuo jam orbo liberis Sveropylo, & Dalmatia testamento ipius Sveropyli Hungarico regno non tam adjuncta, ut quidam tradidere, quam fidei, & tutelae commendata. Ea enim provincia, licet per se tunc reges haberet, non tamen ab Imperio Constantinopolitano alienata erat, nomen magis senescentis Imperii, quam vires respiciens. Mos erat apud Rhacusanos urbis praetores semestri imperio creare: forte obtigerat praetura Demiano cognomento Judae (nemo superest ex hac familia) is quum auctoritate, ac opibus ceteris civibus praefaret, haudquaquam semestri contentus magistratu, insita animo immoda dominandi cupiditate, continuare statuit imperium. Itaque turba satellitum munitus, maximo scutatum, nobilitatemque oppresserat terrore, ut pote qui in metu civium spora suam in primis reponeret. Jam duos annos Demiani tyrannis expleverat, gravisque ea non ceteris magis, quam his, qui affinitate atque cognatione tyrannum continentebant, esse caperat, libertatis amore necessitudinis jura superante. Itaque Pirrus Benefia tyranni ipsius gener advocatis clam domum suam e Rhacusano Senatu potioribus, & qui Demiani tyrannidem molestius ferebant, accusat sacerum injustitiae, quod scilicet vi patriae illata cives suos oppressisset, & cum quibus aequo jure vivere deberet, his dominaretur, profiteborque se principem fore libertatis recuperandarum. Ubi Benefiam saceri tyrannidem aversantem animadvertis, qui huic inter-

intersuerant concioni ; fidesque dictis ejus habita est , omnes ad recuperandam libertatem excitantur . Sed quia animis mercaturæ studio , & diuturna pace mollitis parum fortitudinis inerat , non ausi per se tyrannum aggredi , maluerunt externa ope adversus illum uti , quam propriis armis in libertatem se se vindicare , itaque indignum sane suisque legibus exitiale consilium cœperunt , quo quidem neque ipsi servitutem effugientes , & patriam alienæ ditioni subjicientes , sibi turpem notam inuaserunt , posteris tantum illustrem recuperandæ libertatis materiam reliquere . Erat inclyta eo tempore Veneti populi non tam imperii , quod adhuc tenuerat , quam justitiae , ceterarumque civilium artium fama . Huc accedebat publicum simul , & privatum commodum , hoc ex mercaturæ societate , e qua haud parum emolumenti ad utrosque perveniebat (id enim temporis omnia fere promercalia in mediterraneum Illyricum a Rhacusani mercatoribus ad Slovinos Regulos importanda Venetiis in diem accepta petebantur) publicum vero , quia inde leges , quibus nunc quoque in litibus dirimendis Rhacusani utuntur , descriptas attulerant ; quamquam Rhacusani tempore ita postulante ad Venetas leges multas a se latas addiderunt . Itaque nihil veriti Venetorum calliditatem mandant Benesix , ut prætextu negotiationis proficiscatur Venetias auxilium a Veneto senatu adversus hostem petiturus . Qui quidem amicorum opera in senatum introductus (erat enim illi eam plerisque senatorii ordinis Venetis , mercaturæ commercio usus familiaris) ostendit se publice a Rhacusani missum , opem imploratum ad tyrannum e patria pellendum , societatemque cum Venetis jungen- dam . Veneti , ut gratuitam operam præstarent , haudquaquam in animum induxere , sed officium suum aliena servitute mutare constituerunt . Rhacusani vero vel domesticæ tyrannidis odio , vel quia invidebant , ut fit , uni ex civibus principatum , vel quia se se impares tanto oneri sustinendo existimarent , vel quia arbitrarentur in civili dissidio rempublicam suam Venetorum potestati committendo , neque de sua ipsorum libertate quicquam

quam demptum iri , neque Imperatori Constantinopolitano injuriam inferri ; sed potius Venetorum tutela rempub. sibi , & Constantinopolitano Imperio conservaturos , Venetorum auctoritati libenter etiam si imprudentissime paruere . Nihil enim consulto Imperatore Constantinopolitano , ad quem tunc Dalmatia spectabat , eo quod illud imperium ita jam esset attritum , ut ne se se quidem posset ab hostibus defendere , nedum sociis opem ferre , pacti sunt cum Venetis , ut exturbato illorum ope tyranno , prætorem singulis annis Venetiis peterent , atque ita externæ potestati , fideique inexpertæ se se committunt , ut magis alium dominum quæsisse , quam tyrannum effugisse & ipsi paulo post perspicerent , dum pro continuo civis sui imperio quotannis alium , atque alium dominum , & hunc externum fortirentur . Et quia aperta vi tyrannus pelli urbe non poterat sine idoneo belli apparatu , & id temporis Veneti tenues ut dictum est vires habebant , rem atque hunc in modum aggrediuntur . Per speciem legationis ad Constantinopolitanum Imperatorem mittendæ creantur duo oratores , quibus singulis singulæ triremes armis ac viris instructæ attribuuntur , jussique sunt navium præfecti Rhacusano parere . Nam & Benessa una cum Venetis atque iisdem etiam navibus in patriam est regressus . Ubi Rhacuseam ventum est , adit tyrannum gener , singit naves Venetas legatos Constantinopolim vehere , divertisseque Rhacuseam amicitia secum jungendæ causa . Orat , Venetos domum hospitaliter invitet , esse inter suos primarios viros , amicitiam eorum honori simul & utilitati futuram . Tyrannus nihil minus , quam generi fraudem timens , libenti animo ejus paruit voluntati , Venetos in ædes suas benigne invitatos apparatus accipit epulis . Habitabat Demianus modicis ædibus ad portam urbis , paludi quæ tunc ibi erat adjacentem , in ea regione ubi nunc Lixivia familia e gente Cervaria ædes habet . Post epulas monet sacerdotum gener , Venetos uti e convivio revertentes ad naves usque officii gratia prosequatur . Neque enim tyranni dignitas

ea

ea re minui videbatur, quandoquidem Veneti oratores locum
 senatus sui legationis munere obtinerent. Posteaquam ad naves
 Veneti deducti sunt, rogan tyrannum (ita a Rhacusano edo-
 ëti erant) velit navim Venetam ascendere, muneraque a se-
 natu Veneto ad Imperatorem Constantinopolitanum missa in-
 spicere, simulque animi laxandi causa navi paulum vehi. Ty-
 rannus, genero præsertim idem suadente, Venetorum verbis
 dolum haud subesse ratus, navim Venetam consendit, ubi ei
 vincula extemplo indita, navesque sublatis anchoris altum pe-
 tiere. Tyrannus animadvertis, se non modo dominatione,
 sed & libertate privatum, accusata Venetorum fraude, ac ge-
 neri parricidio, puppi caput illisit; itaque interiit amissi im-
 perii magis, quam vitæ cupidus. Hic exitus fuit Demiani
 Judæ: erat vir vehementis spiritus, & melioris spei capax,
 satisque creditur illum patriæ fortunam aucturum fuisse, Illyricis
 Regulis id temporis dissentientibus, & parum admodum publi-
 cæ rei studiosis. Unde haud difficulter adducor ut credam, De-
 mianum quum animadverteret, cives suos dejecti, atque infra-
 eti esse animi, invasisse dominatum magis ut erigeret patriæ
 fortunam, quam ut orbus præsertim virili stirpe tyrannidem
 in suos exerceret. Sublato tyranno de medio, bonisque ejus
 in publicum redactis, Rhacusani prætorem a Venetis ex pacto
 missum in urbem accepere, qui quidem princeps duntaxat in se-
 natu Rhacusano esset, ceterum nullum jus in civem Rhacusa-
 num haberet, suæque leges, sui magistratus Rhacusanis essent.
 Inde civitas cœpit esse non parvo apud finitimos contemptu.
 Hunc contemptum Veneti, ne Rhacusanorum opes augerentur,
 consulto sovare, his suadendo, ut potius emundis, atque ven-
 dundis mercibus incumberent, quam ulli negotio libero homi-
 ne digno, quod jamdiu intermisserant, intenti essent. Itaque
 accolis feris gentibus injuriam per latrocinia inferentibus ne-
 quaquam repugnare, sed pretio benevolentiam conciliare,
 atque pecunia navigatione quæsita finitimorum gratiam redi-
 anere, tempus, quod negotiationi supererat, socordia at-
 que

que desidia conterere ; & quia nulli rei , quæ magis accusarum invidiam ureret magnopere studebant , ipsa humilitas animi probitatis atque innocentiae apud finitos obtinebat locum . Per idem fere tempus regnabat in Illyrico apud Bosnianes Bodinus a Polimiro Belo , quem conditorem Rhacusanæ urbis diximus , genus ducens . Is suasu uxoris Branislavum fratrem patruellem suum , qui & ipse ad Drinum annuem exiguam Illyrici partem obtinebat , ad se per speciem solemnis festi celebrandi vocatum , affectati regni insimulat , atque in custodiam conjicit , quo & ipse securior regnaret , & posteris stabilius relinqueret imperium . Quod ubi Branislavi liberi , quique eum arctiore contingebant cognatione accepissent , idem sibi quoque periculum impendere rati , confessim Rhacusam cum suis omnibus veluti in liberam civitatem se conferunt . Quos Bodinus quum per literas , atque legatos nequam repetisset , responderant enim Rhacusani se fidei suæ commissos nunquam prodituros , comparato exercitu Rhacusam hostili animo accessit , in radicibusque Vergati (ita montem vocant Rhacusæ imminentem) e regione urbis consedit . Ibi id temporis vicus erat , quem Slovini a proximo luco , quo tunc mons erat vestitus , eorum lingua Dubraviam nominabant ; atque dum fratris patruelis liberos , ceterosque propinquos in suam redigere cupit potestatem , Rhacusanos bello per septennium vexavit . Nonnunquam tamen in ea oppugnatione , & ipse ab obsecris crebro ex urbe erumpentibus magno affectus est incommodo ; propterea quod promptissimum quemque militum , in quibus uxoris quoque fratrem virum fortissimum Chosarem nomine , quem ob virtutem magni faciebat , amisit , dum is cum Caparo , eorum qui obsidebantur duce , Branislavi cognato congregatur : quippe Branislavi liberi in Rhacusana juventute mercaturæ dedita , & ob id imbelli parum spei reponentes , haud contemnendam externalorum militum manum sui defendendi causa ære proprio conduxerant . Bodinus hanc Rhacusanorum constantiam , virtutemque Branislavi liberorum , ac cognata-

cognatorum admiratus , simul inutilis p̄ter̄s̄us belli , tandem necato Branislavo ex agro Rhacusano excessit . Corpus interficti sepulturæ permisum , atque a Rhacusanis in Lacromæ insulæ Čarnobio , quæ circiter quatuor stadia ab urbe abest , ita cordi filiis fuit , magnifice pro cultu civitatis sepultum exstructo ei marmoreo , cuius adhuc extant vestigia , monumento . Ex hac belli vexatione Rhacusanis animus simul & industria adjecta . Itaque Slovinis Dubraviæ incolis inde vi pulsis vicum , & quicquid campi interjacebat , mænibus circumseptum cum urbe conjungunt , atque ita magnitudo urbis brevi duplicatur , tectis teto eo spatio exædificatis . Et quoniam haud parvo certamine Dubraviam de Slovinis ceperant Rhacusani , templum Divo Nicolao pontifici , monumentum victoriarum , in capite vici , qui nunc fabrorum argentariorum , ac vasculariorum frequens est officinis , exercent ; decretumque uti festo die , quo Christus ab inferis excitatus , vitæ est restitutus , senatus cum sacerdotibus eo quotannis iacet supplicatum ; quod eodem die vico sunt portiti , opera in primis quorundam mercatorum , ac nauticorum Docleatium , qui e lacu Lignistri , ad quem Doclea sita erat , per Drilonemque amnum (is ad Olchinum in mare evolvitur , incolæ Bojanam vocant) fruges venales mercede convehere soliti erant , eoque commercio cum Rhacusano populo hospitium inierant . Hunc autem in modum Docleates Rhacusanis operam tunc navarunt , importaverunt Docleates navi Rhacusam inter alias fruges aliquot vini amphoras appetente festo die , quem Christiani sacrosanctam Resurrectionem appellant . Quo sane solemnni lustrari solent religiosi viri , & quicquid piaculo dignum per totum annum admiserint ritu Christiano expiare . Hoc eodem die Slovini ceterorum more barbarorum non tam sacris , precationibusque , quam epulis , & largiore vino uti solebant . Docleates animadvententes , Rhacusanos ita a Slovinis obsidione pressos , ut neque appellentibus navibus in portum Rhacusatum tutus aditus esset , neque inde solventibus profectio libera pateret (nam Bodinus vico aggere , valloque munito , matrem ,

riem, qua tunc abundabat, Vergato monte ad manum suppedante, locum sere instar urbis reliquerat, Boffinatibus eum custodire jussis, diurnaque obsidio, ac bellum sustinendum esse videbatur) itaque adeunt praetorem Rhacusanum, ostendunt se iavenisse viam Rhacusanæ obsidionis solvendæ. Communicato consilio, modoque agenda rei composito collaudantur Docleates, præmiorumque spe pro fortuna, quæ tunc erat civitatis onerati, promissi fidem praestare maturant, tempori insistendum rati. Tuto igitur aditu impetrato vinum Slovinis levi pretio de industria indicunt; quos ubi cibo vinoque gravatos, nullamque pro castris stationem hosti objectam Docleates conspicunt (nempe eodem die, & Rhacusanos epulis vinoque indulgere credebant) signum, quod convenerat Rhacusanis edunt, qui impetu in castra Slovinorum facto, ea momento capiunt: inermes, vinoque graves partim trucidant, partim viactos in urbem suam pertrahunt, atque ita obsidionis, bellique Slovinici finis impositus. Docleates vero hoc merito in civitatem recepti, atque in patritios adsciti: tradunt autem hos Malasconios, & Grædeos fuisse, quorum alteri jam pene extinti sunt, alteri divitiis, & auctoritate inter suos adhuc florent. Amplificata (b) mœnibus, ac tectis urbe, civium quoque numerus in dies magis magisque augebatur. Nam multi ex proximis regionibus; Illyrico, Macedonia, Epiro, Græcia, atque etiam nonnulli ex Italia eo habitatum convenere, civitatis magis institutis ac moribus, quam soli felicitate ulla capti. Eorum quidam in patritios electi opibus, ac familiæ amplitudine clari ad hanc durant diem. Ceterum quum civitas soli asperitate frumento anguste uteretur, navigationi multo enixius, quam antea incumbere coepit, frugesque navibus convehere, nec non alias merces aliis, ut fieri solet, permuteare. Ex qua profecto re & ingentes brevi compararunt opes, & Illyricis Regulis, mercibus advectis, magno simul usui, simul voluptati esse. Sane prisci Rhacusani finitimos reges omnibus officiis adeo prosequuti sunt, ut vir religione in-

signis Stephanus Nemagna Bozzinatibus in Illyrico id temporis imperans, Rhacusanorum in se officiis, quibus ejus gratiam promeruerant, permotus, non mediocrem his Staci agri partem dono dederit cum tota Chersoneso a Rhatanze castello denominata. Distat autem Rhatanza Chersonesus ab urbe Rhacusa, qua illa continent adnectitur triginta fere millibus passuum, quæ quidem in Favonium excurrens, quinquaginta circiter millia passuum protenditur. Latere Septentrioni objecto Naresum efficit finum, cuius os Pharium, seu, ut nunc dicitur, Lesinam excipit insulam; qua Austrum spectat, ei Melite, & Corcyra nigra adjacent. Quin etiam eadem fere tempestate Ludovicum Hungarorum Regem Caroli filium, cum qui cum Venetis bellum gerisset, amicitiam cum Rhacusanis instituisse comperio. Etenim quum Ludovicus Rex ex quibusdam maritimæ Dalmatiæ urbibus Venetos expulisset, Rhacusanos liberos, & suis legibus, in perpetua tamen Hungarorum societate, in qua ad hanc diem integerima fide permaneserunt, statutum agere permisit, jussos duntaxat quingentos aureos numeros annui census nomine pendere, non quo stipendiariam urbem efficeret, sed ut leve tributum urbi Dalmatiæ opulentissimæ impositum testaretur, Dalmatiam ipsam esse Hungarici regni provinciam, & ad regis imperium spectare. Porro Hungari attrito Constantinopolitano imperio, a Sveropoli Dalmatarum regis usque tempore, affinitatis jure Dalmatiam imperio adjunxerant, ipsius Sveropoli filia, quum is virili stirpe careret, regi suo in matrimonium accepta. Sunt enim auctores, qui tradunt Sveropulum non omnino orbum liberis decessisse, sed filiam sibi superstitem reliquisse. Quanquam multis annis primi Hunni, mox Veri, Magere duce, Dalmatiam de Romanis, deletis Salonis, ceperunt, suoque regno adjecerunt. Occupaverant autem Veneti quasdam in litore Dalmatico urbes cum quorundam regum ignavia, tum intekina Dalmatarum seditione. Porro ferunt, hanc Ludovici regis societatem Rhacusanis magno extitisse splendori atque emolumento,

cum

cum apud ceteros Dalmatas , tum maxime apud Bosinates
 reges , apud quos sane pulsis e litore Dalmatico Venetis sum-
 mā cæperat obtinere auctoritatem , magnusque his honos ,
 fidesque , præcipue ob integratis famam est habita . Cete-
 rum civitas Venetorum imperio liberata parum absuit , quin
 haud multo post quorundam adolescentium levitate animi , &
 egestate , ut sit , venalium proditione diriperetur , quos quidem
 nominatim tradere familie dignitas , in qua nati sunt , prohi-
 bet . Tulit enim ea domus viros plures singulari facundia præ-
 ditos , patriæ studiosos , multisque artibus civilibus claros . Hi
 igitur juvenes a quodam Regulo Bosinate urbi Rhacusæ vicino
 pecunia corrupti , ac promissis ingentibus inducti , adscitis sibi qui-
 busdam etiam e plebe hominibus , constituerant clam nocte in
 urbem Bosinatem armatum accipere . Bosinas , cui ad invaden-
 dam urbem omnis cunctatio ob prædar cupiditatem , longa esse
 videbatur , ratus , incæpta a conjuratis , sive poenitentia facino-
 ris omitti , sive socordia animi differri , dat literas ad conjuratos
 cuidam agresti , quibus abhortabatur ipsos conjuratos , uti
 promissa mature præstare curarent ; se cum exercitu ad urbem
 constituto die affuturum . Literæ , dum parum caute ab agresti
 conscientiis redduntur , interceptæ proditionem manifestam fece-
 runt . Itaque conjurati deprehensi , quæstioneque habita convi-
 sti meritas patriæ poenas dedere , omnibus , qui sanguine eos
 contingebant , non modo hujuscē poenæ lassis , sed supplicii pe-
 ne exactoribus . Ferunt enim quemdam , cuius fratrī filius con-
 jurationis damnatus erat , purpurea ueste indutum in foro inam-
 balasse , dum de conjuratis poena caperetur . Iisdem fere tempo-
 ribus ager Epidaurius , addita Vitalina , & tota regione , quæ ab
 aqueductu lingua Epidauria Canalis appellatur post sexcentos
 circiter annos ab excidio Epidauri , pretio quibusdam accolis
 Bosinatibus soluto , recuperatus est , viritimque inter cives ma-
 gna veterum possessorum invidia , atque contentione divisus .
 Quod antem Canalenſis ager territori Epidaurii fuerit , argu-
 mento est opus mirabili structura effectum , quo a vigesimo pro-

pe milliario aqua in urbem perduta est , partim subterraneo rivo , partim substructione , partim opere arcuato , cuius quidem operis a Sloviniis procul dubio eversi adhuc extant vestigia , atque quibusdam in locis inscriptiones latinis literis nomina curatorum indicantes . Per idem fere tempus Sigismundus Augustus Hungarorum ac Bohemorum Rex Phariam , quam quidam Lesinam , ut dictum est vocant , Bratiam , & Corecyram Nigram , insulas habitatoribus satis frequentes , singulari benignitate in Rhacusanos usus , ditioni Rhacusanæ adjunxit . Jam cœperant Rhacusanii Prætores mittere , qui insulanis jus dicebent ; quumque hi novam dominationem ægre ferrent , & Rhacusanos ob Canalensem agrum cum Radoslao Paulovich colluctantes vexari , & in discrimen adduci viderent , vix bene coalitum imperium detrectare conati sunt ; & ni seniorum auxilio vis prohibita esset , prætores urbium violati fuissent . Itaque Insulani confessim consilium cœperunt sese in regiam potestatem restituendi , adjutore in primis Jaxia quodam ex Naresiis principibus . Erat Jaxias & per se Rhacusanis infensus , ut est inter plerosque vicinos ex simulatione odium ; itaque profectus in Hungariam adit Barbaram Sigismundi uxorem , cui se cordi esse haud quaquam ignorabat : erat enim & ipse ex aulicis Augusti , florentique ætate , ac forma corporis eximia , & regina fæminarum via vergens etiam annis non exuerat . Itaque , compositis crimini bus in Rhacusanos , persuadet reginæ , ut cum Imperatore agat , ut insulæ Rhacusanis nuper attributæ liberæ sub Cæsar's Imperio de cetero essent , ne Rhacusanorum ut ipse ajebat tyrannide perditum irent . Sigismundus uxoris oratione inductus dat Jaxiæ Naresio literas ad Rhacusanos , quibus jubebat eos insulis excedere , atque a potestate Rhacusanorum omnino exemptas Jaxiæ tradi , Rhacusanis oratoribus apud Cæsarem nequicquam nitentibus , ne insulæ fidelibus sociis , falsis Jaxiæ criminibus , adimerentur . Sed crimen plus valuit . Itaque licet Rhacusanorum studium , & fides erga regem omnibus satis nota esset , cupiditas tamen & muliebre lenocinium causam eorum eventit .

te. Quo autem studio fidem ceteris in rebus semper coluerint Rhacusani, eo maxime tempore declaratum est, quo Georgius Triballorum, ac Dardanorum Rex, Stephani Nemagnæ successor fere ultimus regno a Turcis pulsus, Rhacusam una cum familia se recepit, vi magna auri secum allata. Nam quum fidei Senatus Rhacusani sua omnia credidisset, Rhacusani neque terrore Turcarum, quo fere Europa id temporis magnopere perculta erat, neque ullo præmio adduci potuerunt, quo minus fidem servarent. Quam profectio constantiam Amurathum Ottomanum Turcarum regem vehementer admiratum dixisse ferunt, urbem haud facile perditum iri, in qua scilicet tanti ducitur fides. Ceterum Rhacusanis haudquam contenti hoc tantummodo in Dardanum regem officio consuluerunt ei, ut confestim Hungariam peteret, fortunamque recuperandi regni tentaret. Itaque Rhacusanis navibus Scardonam deductus, inde in Hungariam profectus, brevi ab Hungaris, tum opera Joani Unniadis regis Matchiaæ patris, tum thesauro in militum stipendum erogato, quem ei, ut dictum est, Rhacusanis conservarant, in regnum est restitutus. Atqui recuperato regno haud immemor beneficij Dardanus rex extitit; semper enim gratia Rhacusanis referendæ summo studio incubuit, atque adeo omnibus eos est prosequutus officiis, ut etiam modum excesserit. Nam præter alia in Rhacusanos benevolentia indicia, ubicumque ipse imperitabat, cuique Rhacusano civi debitorem suum indicta etiam causa, ac nulla magistratus interposita auctoritate ob æs creditum negcere, atque in nervo domi sua tenere permisit. Quo facto multi ex Rhacusanis id temporis amplissimas nacti sunt opes, quibus fane & publice, & privatum urbs magnopere est exulta.

Ceterum Rhacusani, mente eorum secundis, ut sit, rebus sublata, fortuna sua haud modeste uti coepere. Itaque cum Stephano Cossacio Volcatii filio Boffinato finitimo, & amico, sub quo aliquot Dalmatiæ regiones tunc erant, inimicitiis imprudenter, ac optimo quoque, & in primis Jupano Bono, &

Mario Restio dissentientibus , suscep̄tis , adeo pertinaciter armis contendunt , ut absumpta eo bello magna vi auri in extēnos milites , ultimum pene in discrimen , tum ab suis militib⁹ , tum ab hoste , libertatis amittendæ devenerint ; nam conducti ab Italia milites videntes Rhacusanos bellicæ rei pa- rum deditos & prædæ expositos , consilium inierunt , ut urbem prius direptam alienæ subjicerent potestati . Quæ conjuratio quum per quosdam cives qui senserant id agi , enunciata es- set Rhacusano Senatui , in re trepida civitati non defuit consi- lium , nempe milites scelesti confilii participes per speciem ex- peditiōnis extra urbem alegatos , posthac urbem ingredi non permiserunt : itaque urbs incolumis ab intestino hoste conser- vata . Verum fugatis mox ab extēno hoste Rhacusanis copiis , rebusque accisis confernata civitas in novo molimine spem po- suit salutis . Erat Stephano Cossacio filius natu maximus , pa- tri ob creptam sibi ab ipso patre sponsam valde infensus , quem quum Rhacusani male animatum in parentem animadverte- rent , hac arrepta occasione ægrum animi clam adeuāt ; hor- tantur , ne incestum patris in se admissum , & tam insignem in- juriam inultam esse patiatur ; suam operam adversus inustum inimicum , & fæda libidine pollutum pollicentur ; tandem spe pecunie illecto persuadent , uti ad Turcarum Imperatorem confu- giat , suisque rebus fæde attritis provideat . Nec ex altera par- te Stephanus destitit extēnis auxiliis Rhacusanos oppugnare . Paclus est enim cum Venetis , ut expugnata Venetorum ope urbe Rhacusa , præda rerum omnium Stephani esset , urbs vero Venetis cederet . Quod ubi sensere Rhacusani , misso Romam quodam monacho Basilio , qui postea ob hanc operam ftreue navatam Tribuniensium præsul creatus est , deferunt ad Nico- laum V. Romanum Pontificem querelam , Venetos impietatis in Christianum nomen accusant , rogantque Pontificem , ut ipsos Venetos a Stephani Cossacii Schismatici hominis societa- te , & Rhacusanæ urbis oppugnatione arceat . Pontifex literas ad Venetos extēmplo conscribit , hisque rebus Divinis interdi- cere

cere minatur, si ullum auxilii genus adversus Rhacusanos Bosfinati homini praetitissent; atque ita Veneti prudenti consilio quievere. Sed nec quies Venetorum belli finem fecit: nam filius Stephani, quem a patre defecisse demonstravimus, ita inimico animo regiones ad patris imperium spectantes Turcica manu sibi adjuncta devastando pervagatus est, ut hoc in primis certamen Turcis aditum in Dalmatiam aperuerit, & Cossaciam familiam extinxerit, Rhacusanamque civitatem per ea, qua his temporibus subsequuta sunt non parum de dignitatis, & amplitudinis suæ gradu dejecterit. Nimirum ita plerunque usu venire solet, ut qui hostem alienis armis vincere ntitur, iisdem & ipse superetur: nec multo levius victori, quam victo accidat. Quod quidem antiquitus Illyricis, Thracibus, Macedonibus, & Græcis; nostris vero temporibus Italies evenit, quorum alii dum Gallorum ope, alii Hispanorum adversarios suos oppugnant, omnes externum jugum subiere.

